Seneca, Lucius Annaeus,
the younger
LL
S4753 Gercke, Alfred
.YgeS Studia Annaeana.

4n
32

Wissenschaftliche Beilage

zum

Vorlesungsverzeichniss

der

Universität Greifswald,

Ostern 1900.

Seneca, Lucius Annaeus, The Younger

Studia Annaeana

scripsit

A. Alfred Gercke.

III

Greifswald.
Druck von F. W. Kunike.

LL
S4753
Yge S

594247
1.10.54

AVGVSTO WILMANNS
VIRO PHILOLOGO ET LIBRORVM SOSPITATORI OPTIMO
AVVNCVLO BENE DE ME MERITO
GRATIAM RELATVRVS MAXIMAM
PVSILLVM HVNC LIBELLVM
NACTVS IAM ANNOS SVEBORVM
EX SORORE DILECTISSIMA NEPOS DEDICO.

L. Annaei Senecae Naturales Quaestiones edendas postquam diu paravi, ante hos quinque annos de codicibus manu scriptis in volumine XXII. Supplementorum ad Fleckeiseni Annales editorum rettuli; quae relatio *Seneca-Studien* inscripta etiam separata eodem anno 1895 in lucem prodiit. ubi quaecumque de stirpibus librorum classibusque atque de pretio singulorum protuli, nunc retractare neque in animo mihi neque opus est. nam obtigit quod optavi: libris enim quadraginta fere vel quinquaginta illic enotatis nunc novem qui nuper mihi innotuerunt accedunt, quorum quinque ipse contuli. inde pleraque, quae olim posui, nunc certiora fiunt, perpauca eaque parvi momenti immutantur. nimirum ipse apparatus qui dicitur criticus pluribus auxiliis inventis, si quidem dilucide et parce instituetur, non uberior fiet sed, si quis copiam tantum adnotationum spectabit, vel macrescere visus ipsa auctoritate testium crescet roburque accipiet.

quibus ex causis magnam iis viris gratiam habeo gratiasque ago, qui interim me alius alia adiuverunt ratione. nam Augustus Wilmanns avunculus et Otto Guenther amicus libros adhuc latitantes mihi ostenderunt. Guilelmus Kroll collega Londini versatus collegium Etonense mea causa etsi frustra adiit forte clusum. Iulio Nicole Genevensi et Francisco Warre Cornish, qui bibliothecae Etonensi praeest, comiter intercedentibus H. V. Aubert bibliothecae publicae Genevensis conservator librum Genevensem et

I. A. Herbert munere in Museo Britannico fungens codicem Etonensem Londinum missum meum in usum accuratissime et humanissime descripserunt. pauca eaque parvi momenti attulit in censura libelli mei Paulus Lejay.[1]) plura vel correxerunt vel addiderunt Emilius Chatelain et Otto Rossbach: ille enim chartas singularum quattuor librorum paginarum delineatas neque tunc quidem editas[2]) Scatone G. de Vries amico intercedente mihi misit, per litteras ultro me edocuit, auxilium comiter obtulit; Rossbach codicibus olim a se detectis plures addidit,[3]) quos ut nanciscerer et ipse conferrem auctor exstitit, atque nuperrime totas collationes a se factas utendas mihi misit, quae insignis humanitas laudibus meis non eget. quas inter schedulas etiam notae ab adulescentulo quodam Holzingero suasore confectae exstant. praeterea abbas et pater bibliothecarius monasterii Sanctae Crucis in Austria

1) *Revue critique d'histoire et de littérature 44, 195—198, Paris 1897.* priore dissertationis meae bipertitae parte non sine erroribus pertractata Lejay haec addit. *M. Gercke reproduit ensuite et discute les jugements portés par les anciens sur le styl de Sénèque. Ces paragraphes ne m'ont pas paru offrir rien de bien neuf. J'en dirai autant de la deuxième partie de la brochure. Les recherches historiques et biographiques de M. G. n'ouvrent pas de voies nouvelles . . .* quod nihil novi vir bonus invenit, utrum illius an mea culpa factum esse putas? fortasse Ottonis Rossbach iudicium secutus hac in re tibi videbitur. neque hoc equidem miror, quia rarissime unus idemque homo artis palaeographiae codicumque peritus atque simul quaestionibus historicis imbutus esse solet; itaque illos facile latere potuit, quales inter Taciti Annales, Suetonium, Cassium Dionem et Plinii Historias rationes intercedere probarem, novas puto sanasque easque a viris doctis comprobatas iam vel impugnatas ab aliis. de his igitur rebus ceterisque a me accurate tractatis iudicium cohibere etsi turpe non fuisset, tamen noluit artem nesciendi profiteri ille iudex severus. at ne legit quidem quae in parte altera disserui. initio enim censurae (p. 195) huius partis esse *recherches historiques et biographiques sur Sénèque et son époque et principalement sur les sources des Questions naturelles* asseverat. quid? hos fontes consulto praetermisi. nam caput primum (*Vorbemerkung über Quellenuntersuchungen* p. 159) in fontes historicorum enucleandos introducendi causa scriptum est. ideoque finem libelli in verbis feci: *Dass ich meinen Ausgangspunkt ganz verleugnet habe, die Lehren Senecas . . . zu untersuchen, ist hoffentlich dem Buche zu Gute gekommen* (p. 328). itaque haec tantum verba legisse et sermonis Germanici parum potens male intellexisse Lejay videtur, ipsam dissertationem non legit, ne conspectum quidem capitum p. 334 datum inspexit. quae cum ita se habeant, ab iis qui Annales criticas edunt Paulo Lejay hominibusque similiter vel ignaris vel improbis officia gravia denegatum in posterum tempus iri spero.

2) Cf. *Paléographie des classiques latins, 13. livraison, Paris 1897.*

3) *Berliner Philologische Wochenschrift* 1897 col. 105 sqq.

inferiore siti atque ii qui bibliothecis Francogallorum cum Montepessulanae tum Nationali Parisinae praesunt, liberalitate pristina usi Gryphiam libros miserunt. neque silentio praetereundus est Guilelmus Mueldener, bibliothecariorum Gryphiensium fere princeps, qui me de aetate codicum dubitantem certiorem fecit atque una cum collegis semper comiter adiuvit.

his igitur praemissis ad ipsam rem accedamus atque tota ratione codicum et cognatione quam brevissime explicata libros nuper detectos accuratius tractemus.

De archetypo et ordine librorum.

Codicum nostrorum archetypus ita recuperatur, ut librorum maxime inter se cognatorum necessitudinem e vitiis mendisque communibus noscamus eademque ratione usi stirpes classesque codicum circumscribamus. quem ad finem ipse ordo libellorum Annaeanorum perducere nos videtur. codices enim qui exstant quattuor in partes discedere apparet:

δ continet	I—III 25,6.	IVb—VII	Δ
ε continet	I—III 25,6,		Δ
ε quibus adduntur (ς)	III 25,6—IVa.	IVb—VII	Φ
EF praebent	I—III. IVb—VII. IVa		Φ
meliores exhibent	IVb—VII. I—IVa		Φ

si verba ipsa spectas neque lacunas mendaque praetermittis, duas familias distinguere facile potes (ΔΦ); codices enim vulgares vel mixti in libris I—III 25,6 cum lacunosis stant (ε) ceteris in libris cum integris congruunt (ς). itaque duplici e fonte codices nostri fluxerunt.

ipsum codicem archetypum saeculo nono Constantiae fuisse, quod conieceram (*Sen. St.* p. 87), iam non contenderim, postquam catalogi titulo '*Senece naturalium questionum I*' exhibentis *volumen* subaudiendum esse plures recte monuerunt. nempe libros illius catalogi Constantiae proprios fuisse, non monasterii Sancti Galli, etiam ante me Hermann Blass probavit (Fleck. Suppl. VIII 166 sq.), neque illa regio a libris Bambergensi, Pragensi, Sanctae Crucis ab-

sona est. neque tamen librum nunc deperditum sive Δ sive Φ sive utriusque archetypum illo titulo notari pro certo affirmaverim, quamquam originis prorsus alienae volumen istud fuisse parum veri est simile. itaque iudicium cohibere praestat.

ne quis vero ab ipso Seneca duplicem Naturalium Quaestionum editionem in lucem prolatam esse opinetur, qualem Evangelii a Luca nunc autumant, haec praemonere sufficiet: unum eundemque codicem pervetustum multis locis correctum lectuque difficilem et compagibus quibusdam solutis saeculo fere decimo adeo detruncatum, ut non nulla folia (libelli IVa exitus, IVb exordium) prorsus interciderent, bis esse descriptum olim probavi.

uterque igitur scriba saeculi fere decimi vel undecimi singulos codices descripsit. atque is, qui prior fuisse videtur, satis accurate depinxit, quaecumque reperiebat, neque codicis partes duas (IVb—VII, I—IVa) foliis intercisis direptas posteaque in falsum ordinem redactas esse curavit. alter scriba ordinem vetustiorem restituit neque vero partem priorem (I—IVa) integram repperit neque describere verba satis habuit sed suo ingenio fretus multa mendosa quae videbantur correxit. ergo ab his duobus exemplaribus, quae Φ et Δ nominavi, quotquot supersunt libri manu scripti, aliquo modo pendent. atque ipsum meliorem illum librum Φ tres descripserunt scribae (ϑλρ), deteriorem Δ unus vel duo: unus enim (δ) utramque partem, quanta exstabat (I—III 25,6 et IVb—VII), alter (ε) priorem tantum ex Δ sumpsit.

neque obstat huic observationi libellorum ordo in codicibus vulgaribus servatus neque artificiosior ille codicum EF supra memoratus. ille enim qui codicem ε exaravit maximam exemplaris Δ lacunam (III 25,6—IVa) expleturus quodam classis Φ stirpisque ϑ codice eoque codicis E simillimo usus inde et mediam partem et libros IVb—VII (ς) descripsit: itaque ordinem vulgarem librorum I—VII effecit. is vero, qui codicis E ordinem sane speciosum sibi excogitavit, codice classis Δ nescio quo adhibito initium totius operis a libello I eiusque praefatione sumendum esse etsi falso tamen sagacissime ratus sollemnem classis Φ ordinem (IVb—VII. I—IVa) respuit, ideoque libros I—III priore loco collocavit, librum III integrum nempe ex ϑ exhibuit, deinde libros IVb—VII addidit, post-

remo solum librum IVa in calce fortasse ex errore relictum recepit. atque ad huius exemplaris fidem scriba quoque codicis F ordinem libellorum immutavit. verba enim in F libello IVa sine intervallo *Grandinem hoc modo fieri si tibi et c(etera)* subiuncta eaque sine dubio temere ex exemplari vetustiore descripta docent, eum qui ordinem classis Φ sollemnem respuit, ad exemplar codicum mixtorum (ε+ς) libellos IVa et IVb arte inter se coniungere voluisse, libellos I—III et IVa seiungere noluisse. neque igitur ordinem vulgarem (I—VII) neque illum artificiose novatum (I—III. IVb—VII. IVa) in archetypo ii reperiebant, quibus exemplaria Δ et Φ debentur.

itaque classes codicum stirpesque ex ordine libellorum restitutas hac fere imagine comprehenderim:



De classis Φ stirpibus.

Classis melioris tres esse stirpes ϑλρ supra posui, non probavi. quamquam enim ipsi codices ϑλρ aeque atque Φ perierunt, tamen omnem huius classis codicum tripertitum esse numerum facile e vitiosis verbis et omissis probatur. atque facillime, quaenam inter has stirpes classemque Δ intercedat ratio, ex uno loco II 48,1 dignoscetur, ubi una ρ stirps integra, Δ classis interpolata est:

nam et quod perpetuum uocant fulmen, finitum est. [*eque enim est ad diem respondent* (sic λρ), *nec ideo minus finitum est* (om. ϑ), [*quia multa significat* (praebent ϑρ, om. λ), *et quod prorogatiuum* (*prerog.* λ) *uidetur, finitum est.* haec ne in deterioribus quidem codicibus (Δ) lacunosa at interpolationibus sic leguntur foedata: . . (*a*)*eque enim talia ad diem respondent, nec ideo finita non* (*non* om. A¹) *sunt, quia multum tempus significant* . . .

harum interpolationum ansam illud *respondent* in Δλρ traditum dedit idque me iudice emendandum: depravatum enim esse ex participio *respondens*, quae orationis forma alibi quoque a Seneca adamatur, conicio. itaque una littera correcta codicem P sequi hoc quidem loco et possumus et debemus, quamquam P hoc loco solus fere mihi est testis stirpis ρ, ubi ceteri cognati aut deficiunt aut collati non sunt. sed accedunt stirpis λ codices a manu correctoris aliunde suppleti ideoque nunc paene integri, scilicet JL: atque verba in margine suppleta *quia multa significat* L² iusto loco, falso J² ante *eque enim* addenda esse notavit.

codices igitur qui verba *aeque — finitum est* omiserunt, stirpis ϑ sunt; quicumque verba *quia m. significat* praetermittunt veluti J¹ L¹, stirpis λ sunt. his vitiis sane alia accedunt. neque desunt menda tertiae stirpis, immo alibi libri stirpis illius erroribus paene scatent, neque inde codices deteriores pendere sed alteri classi adnumerandos esse et posui et infra probabo.

iam vero singulas melioris notae stirpes earumque propaginem accuratius tractemus.

De stirpe ϑ.

Admodum pauca de ipsa ϑ stirpe adnotabo. ita enim eam appellare nunc malo, quam olim μ nominavi, et sigla FH pro NQ praeopto, ut facilius cognatum illis esse librum E, alienos et JKLMO et PRSTU, scilicet stirpes λ et ρ, esse dispicias memoriaeque impingas. atque ipsi ϑ litterae sigla ϑ1 et ϑ2 subdere placet, quoniam saepe ϑ1 interpolata et emendata deprenditur ideoque a ceteris codicibus longius recedit, ϑ2 summis in rebus cum λρ consentit. sin-

guli autem codices qua ratione inter se cognati sint, hac fere imagine apparebit:



quinque locis eadem verba ab omnibus huius stirpis codicibus abesse olim monui (*Sen. St.* p. 55): I 3,5. II 48,1. V 1,3. V 18,4. VII 5,3.

atqui duas huius stirpis partes distinguere facile possumus. nam cum E(rfurtensi, nunc Berolinensi) ante me nimia perfuso laude codices vulgares σ g m n p Pal. 3 alii, quos siglo ϛ vel η comprehenderim, inde a III 25,6 artissime cohaerent. nam Eϛ III 26,4 sq. verba *non tamen — certo tempore* omittunt, quae in ceteris codicibus quotquot collati sunt (FHJKLOP) exstant eaque a g^2 suppleta sunt; unus T codex *non dubius aut idem emergit* praebet, *quidam — tempore* omisit, qua de re infra disseram. praeterea adeo multa menda interpolataque codicibus Eϛ communia sunt, ut communis quaedam eorum origo (ϑ1) certa fiat (cf. *Sen. Stud.* p. 72 sq.), nisi quis hariolari quam rationem sequi mavult.[1])

ceterum codicem Eʷ (Wirceburgensem, olim W appellatum) nunc non curo. atque de interpolationibus horum codicum fusius infra agam.

nunc de ϑ2 plura adnotaverim. unde qui pendent FH codices ter vel quater eadem verba omittunt (cf. *Sen. Stud.* p. 58), scilicet II 6,5. IV 20—30 (etsi uterque in aliis verbis desinit) VI 30,2. VII 10,2. atque iam tertius accedit codex Montepessu-

1) Erat enim nuper, qui libellos III 25,6—IVa in codices vulgares e Δ manasse contenderet et hinc duo Quaestionum volumina (I—IVa et IVb—VII comprehendentia) antiquitus tradita esse concluderet. haec opinio ante annum 1895 sane probabilis visa est. cf. *Sen. Stud.* p. 80 sq.

lanus, scilicet iisdem locis lacunosus. praesto igitur nobis eiusdem fontis hi sunt codices:

F (olim N) est Mertonenis Oxoniae servatus 250 saeculi XIV membranaceus formae quadratae (*Sen. St.* p. 56 nr. 50). in hoc notam manu recenti adscriptam hanc legit O. Rossbach: *Liber domus Scolarium de Mertone* [*Merton* ego] *in Oxonia* [*Oxon̄.* ego] *ex legato Magistri Joh. Baynham* [*Raynham*, ego] *quondam socii eiusdem domus, cuius anime* [sic] *propicietur Deus*, ubi ego quoque *magistri* et *propicietur* legi sed in plagulas errores admisi. neque *anime* exaratum in codice esse nego, quamquam ipse *animae* descripsi, harum rerum sane minimarum ne in ipso quidem Seneca examinando satis curiosus.

H (olim Q) est codex Parisinus latinus 8624 Colbertinus membranaceus formae quadratae saeculo XII vel XIII ineunte exaratus (*Sen. Stud.* p. 38 nr. 40).

accedit Montepessulanus H 116 qui fuit scholae medicinae (J. A. 18) et antea *ex libris Collegii Oratorii Trecensis* ut legitur fol. 1. codex est membranaceus formae maximae in foliis 144 exaratus saec. XIII (exeunte potius quam ineunte), paginae binas columnas continent. insunt 1) edicta Sti. Hieronymi, epitaphium, Pauli et Senecae epistulae 2) epistulae 1—88,45 ad Lucilium datae f. 2 - 57^{v}. 3) declamationes, sine titulo, f. 57^{v}—72^{v}. 113—120. 81—83. 4) proverbia, sine titulo 5) de clementia 6) *sumeta . . de beneficiis . .* 7) versus quidam

(f. 97^{v} *cum sine doctrina nil perficiat medicina,*

audi doctrinam qui vis vitare ruinam . . . .

usque ad *nil nimium satis est. nescit et hoc nimium* f. 98^{r}) 8) Publilii Syri versus, sine titulo [collectionis Σ quae dicitur] 9) Naturales Quaestiones, sine titulo, inde a *Grandines* (IVb) usque ad *exempla componere. Cum quis* (IVa praef. 13) fol. 100—112^{v}. 73—80. 121—144^{v}. folia 145/6, plurave perierunt.

hunc codicem a Chatelainio et Rossbachio detectum, deinde roganti mihi Gryphiam missum inspexi, stirpem indagavi, folia quaedam contuli. descriptus est liber cum olim in catalogo (*Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements, t. I p. 325, Paris 1849*) tum nuper a Chatelainio p. 22, qui primam Quaestionum paginam in tabula 169 delineandam curavit. hoc moneo, folia 73—80,

quae N. Q. VI 27,2—VII a. c. et I praef. usque ad § 11 continent, cum nunc inter Controversias legantur Senecae maioris, locum foliorum 113—120 recuperare debere. ceterum titulus et subscriptiones priorum libellorum IVb—VI desunt; ante l. VII additur *Incip(it) sextus LIBER*, secuntur ante I *Septimus incipit*, ante II *Incipit octauus liber*, ante III *Explic(it) VIII(us). Incip(it) VIII(us)* [immo *VIIII us*], ante IVa *Explic(it) Liber VIIII. Incip(it). X.* similiter decem libellos numeratos esse in H L Escurialensi N III 16 constat (cf. *Sen. Stud.* p. 40 et infra p. 14).

originem codicis Montepessulani e lacunis apparere dixi; neque integriorem praebet libelli IVa caput alterum sed magis iam detruncatum. adde, quod cum FH I praef. 4 *que* post *periturum* omittit, alia. itaque ex 9 2 noster pendet liber. utrum vero artius cum F an cum H coniunctus sit, diiudicari vix potest. ordinem enim libellorum numerumque decem cum H praebet, qua in re EF ita distant, ut libellum IVa tamquam octavum ultimo loco exhibeant. contra non nusquam conspirare videtur cum recentiore F:

I praef. 7 *et interiorem* E^{w1} HλP *et in interiorem* E F Mont. T 11 *minima etiam* EHρ *etiam* (*et* JK) *min.* λ *quae min.* F *minima que* Mont.

IVa praef. 11 *illos quoque quos* ϛHL^{2}ρ *illos propter quos* F(L^{1}?)O *illos quoque propter quos* Mont. *illos uel quoque propter quos* JK

neque e F descriptus esse potest Montep. neque est ex H, nisi exemplar interponis mirum in modum interpolatum et correctum. nimirum multa insunt et interpolata et foede corrupta. saepe enim ille cum λ vel ϛ vel cum Alberti Magni codice adeo conspirat, ut nullius fere pretii sint eius lectiones. qua de causa pauca tantum cum libris melioribus conferre satis habui et nunc plura de libro addere pessimo supersedeo.

sequatur codex Etonensis 89 membranaceus saeculo XIII, ut fertur, in 187 foliis, quorum paginae bipertitae sunt, exaratus; continet autem Senecae scripta: 1) de benef. 2) Nat. Quaest. ll. IVb – VII et I—III f. 38 – f. 57^{v} 3) de clem. 4) epist. ad Paulum ap. et epitaph. 6) epist. ad Lucil. 7) de cop. verb. 8) de cas. fort. 9) (ab alia manu scr.) excerpta de epistulis. librum descripsit Montague Rhodes

James, *a descriptive catalogue of the mss. in the library of Eton College, Cambridge 1895* p. 31. hac nota mecum a Guenthero communicata codice ipso potiri et ego dum domi maneo et Guilelmus Kroll Etonem profectus frustra conati sumus; nuper denique Cornisheo comiter intercedente J. A. Herbert Londini initia et exitus libellorum Quaestionum a me rogatus descripsit et locos quosdam inspexit.

inde laceratum codicem esse et turpiter foedatum patet. deest enim totus libellus IVa, qui ad calcem operis exstare debuit, desunt in ceteris libellis tam multa amplaque, ut saepe excerpta tantum superesse videantur, exstant denique non nullis locis non ipsa Senecae verba sed paraphrasi quadam circumscripta atque libelli I II III in formam epistularum ad Lucilium datarum redacti sunt. vitia et omissa, quot mihi innotuerunt, enumerare me taedet. subscriptiones ab Etonensi absunt; titulus hic est: *Incipit liber Senece de naturalibus Questionibus uel causis rerum.*

atqui codicem Eton. artius cum ϑρ quam cum λ cohaerere unus docet locus: nam V 18, 16 *in quae* cum ϑρ praebet, ubi *in qua* λ exhibuit. artissime vero ille cum Montep. 116 coniunctus est atque cum Escurialensi Laurentiano N III 16 saec. XIII (cf. *Sen. Stud.* p. 38 sq.), in quo ll. IVb—VII, I – III *de naturalibus causis* ab eadem manu exarati exstant, ab alia eiusdem fere aetatis addita sunt IVa praef. --2,9 fortasse aliunde suppleta; man. saec. XIV adscripsit *liber unius* [num *unicus?*] *s(ecundum) quosdam. alii d(icu)nt quod sit de libro VII°.* Esc. autem et Eton. III 30,8 *discutiuntur* praebent pro *discuntur;* quid hoc loco Mont. habeat, non adnotavi. atque omnes tres primum totius operis verbum aeque corruptum tradunt *Grandines* pro *Grandinem* (IV 3,1), ubi *fieri* om. Montep. tradit Et.

denique I praef. 1 *Quantum inter philosophiam, Lucili virorum optime, et ceteras artes interest* Montep. praebet, neque aliter in Eton. verba collocata esse videntur, etsi quattuor tantum prima verba (*Q. i. ph. Lucili*) enotata habeo; contra ceteri codices *Quantum inter philosophiam interest, Lucili eqs.* praebent. quibus de causis ex eodem exemplari iam graviter corrupto hos tres codices manasse veri est simile.

De λ stirpe.

Observationibus meis imaginem quandam, qua propago secundae stirpis codicum illustretur, praemitto.



tres codices KLO huic stirpi olim adscripsimus.

K est codex Cambreensis nr. 555 saec. XII exaratus (cf. *Sen. Stud.* p. 37 sub 34).

L est codex Leidensis Vossianus fol. 69. hunc saec. XIII exeunti ego (cf. *Sen. Stud.* p. 36 sub 33) alios secutus attribui, nunc Chatelain rectius exeunti saec. XII adscribit, qui notulam folio tertio adscriptam sic legit *Pierre Loustouer can(oni)cus Venetensis* oppidumque Venetense esse *Vannes* intellexit. idem imaginem utriusque columnae folii 35 in tabula 169 edidit.

O est codex Leidensis lat. oct. 199 saec. fere XIV incipientis (cf. *Sen. Stud.* p. 37 sub 35). subscriptionem folio 297ᵛ adscriptam Chatelain nunc explicat *iste liber e(st) conuentus fr(atru)m praedicatorum Petrag(oricen)s(ium)*, atque in hoc oppido, quod nunc *Périgueux* appellatur, conventum istum olim fuisse ut discamus *Vte de Gourgues Dictionnaire topographique du Département de la Dordogne, Paris 1873*, p. 230 inspicere nos iubet.

his igitur codicibus olim a me coniunctis nunc JM addere possum.

J est codex collegii Sancti Johannis Oxoniensis nr. 36, qui me non latuit (cf. *Sen. Stud.* p. 39 sub 42), sed nunc demum ab Ottone Rossbach totus collatus in usum venit. saec. XII/XIII ab eodem adscribitur, saeculo XIII olim a Coxio adscriptus est. ceterum

in primis 145 foliis exstant Naturales Quaestiones, quae subscriptionibus vacant.

M notissimus est ille excerptorum codex Parisinus 17903, olim Nostradamensis 188, membranaceus in foliis exaratus formae maximae 165 et dimidio, quorum paginae columnis bipertitae sunt; saeculi est XIII. descripsit eum Delisle (*Inventaire des Manuscrits Latins*, *Paris 1863—71*, p. 73), de ipsis excerptis disseruit Meyncke in Musei Rhenani tom. 25 p. 369 sqq. alii, cf. Norden, *die antike Kunstprosa* II 720.

nimirum eandem fere excerptorum collectionem in quinque codicibus exstare perhibent eamque saeculo IX vel X ortam esse vulgo coniciunt, equidem ceterorum codicum Annaeorum ratione habita et Meynckei saeculo demum XII attribuere maluerim. atqui ex illo codicum numero antiquissimus Thuaneus (Paris. 7647 saec. XII/XIII) eximendus est, quoniam in eo quaecunque e Naturalibus Quaestionibus excerpta fuerant post f. 169 excidisse Meyncke docuit. in tribus codicibus, scilicet Armamentarii Parisino 711,4 ciusdem atque M saeculi duobusque recentioribus Arratensi 305 et Matritensi (cf. Fierville, Quintiliani liber I, praef. p. 86 sqq.), eadem atque in M exstare Lejay affirmat. denique M illa praebet in foliis inde a 131^{r} c. 1 usque ad f. 135^{v} c. 2. atque inde a f. 132^{r} c. 1 Senecae libellorum notantur 4 5 6, 8 9 10 numeri, qui librorum sunt V VI VII, II III IVa quos vulgo numeramus. itaque in exemplari ipso, unde excerpta hausta sunt, libelli IVb—VII in loco tertii, quarti, quinti, sexti numerati erant, libello I deinceps numerus septimi stupide indebatur. eosdem igitur numeros 3—10 agnoscimus, quos Albertus Magnus legit codicesque HL alii praebent. nimirum priores 3—6 e codicibus stirpis δ detruncatis derivatos, posteriores stolide adiectos esse olim cum Schultessio probavi (*Sen. Stud.* p. 84 sq., cf. p. 30 et 40 et supra p. 11).

atqui suo iure et Rossbach et Lejay huius codicis excerpta neglegi vetant. a quibus monitus, etsi non multum inde lucri mihi redundaturum meo iure ratus (Vincentii enim et Alberti vestigia me terrebant), codicis M Gryphiam missi Annaeana contuli et nuperrime a Rossbachio collata accepi. iam igitur quintum archetypi λ testem sed paucis eum locis habemus.

codices JM ex eodem libro atque KLO pendere, scilicet ex λ, facile probatur.

V 18, 10 *horrebit*] *horrebis* JK(L¹?)MO
11 *terra stare* ABEHK¹PST *stare terra* JK²LMO
16 *in que* FHPST *in qua* EJKLM¹O
VI 1, 4 *confugient* AEHPST *fugient* JKLMO
5 *orbis ipse* ABEHPST *ipse orbis* JKLMO
10 *et si*] *etiam si* JKLMO recte!
2, 6 *nutationem*] *mutationem* JKLMO
7 *suis finibus*] *finibus suis* JKLMO
8 *leto* ϑϱ *lecto* JKLMO
ib. *sui partem*] *partem sui* JKLMO
32, 4 *exitium* AB²EHJ² *exitu* PT *exitum* B¹J¹KLMO
5 *in expedito*] *in expedimento* JKMO *impedimento* L¹
7 *metus*] *motus* JKLMO

haec ad stirpem definiendam sufficiunt. neque artius M cum uno de ceteris cohaeret, quamquam MOT VII 1,3 *ad minuendos* — *a solstitio* post *a solstitio* omittunt. ibi tamen suis oculis et excerptorum scriba et codices OT qui delineaverunt aberrare ad eadem verba potuerunt. nam cetera codicis M vitia pleraque aut stirpis λ sunt aut codicis M propria, velut haec:

V 18, 6 *tempestatum*] *t(ame)n p(re)stant;* M
7 *ueheremur*] *ueheremus* M
cum effuger.] *et cum eff.* M
procellosos] *procellos* M¹ (= L¹?)
ac tonitribus] *ad tonitribus* M¹
nauigia] *naufragia* M *naugia* J¹
8 *exercitus*] *exercimus* M
mediis fluctibus] *fluctibus mediis* M¹
9 *molientes*] *mollientes* M¹ *molentes* O¹
mouemus manum] *manum mouemus* M
10 *uincet*] *uinceret* M
sic Crassum] *hic Crassum* M
11 *inhibito*] *inhibitu* M *inhabito* L¹
certe suo] *certe sua* M¹
VII 32, 3 *quanta cura*] *quanta causa* M¹O

aliquando M cum ceteris codicibus contra plerosque stirpis λ libros consentit, quibus locis utrum illud exemplar, unde M manavit, correctum sit, an codex λ correcturas exhibuerit, fortasse dubitabis.

V 18, 5 *quereremus* L^2M = δϑρ *queremus* JKL^1O
7 *quis nos* J^2L^2M = δϑρ *qui nos* J^1KL^1O
10 *intra orbem* δϑJMO^2 *inter orbem* KLO^1
14 *homo*] om. O post *experientia rerum* EFHST coll. post *rerum experientia* AB ante *rerum* JKLP ante *et sine magna rerum experientia* (sic!) M

nimirum hoc loco plerique codices *magna experientia rerum* collocant (EFHJKLOP), *magna rerum experientia* ABM, *experientia magnarum rerum* ST praebent: itaque M vel potius vetustius illud excerptorum exemplar ex Δ correctum esse aut Δ ex illo apparet. atque velim hos quoque locos conferas:

VII 32, 4 *inuenit ex his* HJKLOPT *ex his inuenit* E *inuenitur ex his* ABCςM

VI 32, 6 *te q(uae) genuit* A^1ϑλρ *teque g.* O *te quem g.* J *que te g.* M *q(uae) te g.* A^2B^2ς *g(en)te genuit* B^1

VII 1, 5 *debeat mirari* $A^1\Phi$ *mirari debeat* A^2BM

tamen alibi M potius ex quodam stirpis ϑ codice correcturas accepisse videtur:

VI 32, 9 *ipse*] om. EM
12 *tibi*] ante *cogitatione multa* δϑ1λρ post *multa* M om. FH

pauca haec sunt aliunde petita, plura suo Marte ab excerptore sive correcta sive corrupta. neque igitur fides codicis M, ubi verba ab JKLO discrepant, magni aestimanda est, quamquam raro eum discrepare non nescio. neque multum eiusdem testimonium nos adiuvat, quia pauca tantum breviaque praebet excerpta. neque correcturae in margine adscriptae (M^2) nobis prosunt, quarum pleraeque manifestos scribae errores tollunt.

maioris vero momenti est codex J, quem codicis Cambreensis K, si non tamquam pater fuit, at tamen fratrem gemellum esse una quaeque pagina clamat. quamquam a correctore quodam diligentissimo totus suppletus et correctus alienam faciem praebere primo obtutui videtur; neque vero priores lectiones erasae sunt, quod in L codice factum saepe priorem manum scrutantes nos deludit. atque

ipsas manus solitis siglis J^1 et J^2 distinguimus, ubi distinctione opus est, ceterum J priorem manum denotat. codices igitur J (vel J^1) et K artissime secum cohaerere vel potius ex eodem libro (saeculi fortasse XII) manasse communes illorum mendae produnt et lacunae.

II 20, 2 *quis — ignem* (post *ignem*) om. J^1K

32, 3 *quomodo ergo — mittuntur* (ante *quomodo*) om. J^1K

59, 5 *genuit — fugam* (post *fugam*) om. J^1K

III 22, 1 *hoc quoque — illi* (ante *hoc* [*hac* K] *quoque*) om. J^1K

VI 1, 12 *nunc haec domus* (ante *nunc*) om. J^1KO

9, 1 sq. *exeundi — esse sed* om. J^1K

VII 8, 2 *illorum — cometarum* (post *cometarum*) om. J^1K

his locis, quae in ceteris codicibus sana traduntur, adde pauca iam in λ lacunosa tradita:

II 23, 2 *ignem — simile est* (ante *ignem*) om. J^1KL^1O

II 48, 1 *quia multa significat* om. J^1KL^1 (sed plura om. L^1) O

III 24, 4 *enim qualitatem eius* om. J^1K, *qual. eius* om. L^1O

VI 30, 3 [sic! *Sen. Stud.* p. 42 falso l. IV notatur] *celebrant — ex infimo* om. J^1KL_1O.

decies K lacunosus est (I praef. 12. II 11,2. III praef. 7. 15. IV 2,26. 11,4. V 1,3. 16,4. VI 2,6. 13,4. cf. *Sen. Stud.* p. 43), ubi codex J mendum non traxit. contra rarissime J lacunosior quam K deprenditur:

I 1, 3 *uidimus quoque non semel* [*flammam ingentis*] *pile specie, quae tamen in ipso suo cursu dissipata est.* [*uidimus circa diui Augusti excessum simile prodigium.*] *uidimus eo tempore.* KLO nihil omiserunt. *flammam ingentis* om. J^1, sup. lin. add. J^2. *uidimus — prodigium* om. J^1, in marg. inf. add. J^2 praeterea *spile* scr. J^1 sed corr. (J^1?) *pile.*

I 8, 3 *ad rem pertinet* om. J^1, add. J^2 in marg.

his observatis codicem K quamvis multo deteriorem ex J non manasse apparet, immo unum eundemque librum ι saeculo fere XII exaratum bis esse descriptum, et a scriba parum curioso K, et ab altero ita diligenter, ut exemplar inde derivatum J etsi recentius paulo ab ι distet, nostro iure concludemus.

quae cum ita sint, facile explicatur, cur saepissime K depravatus sit, rarissime illo mendosior J deprehendatur, id quod singulae quoque lectiones docent.

IV praef. 7 *Demetrium* Φ *detrimentum* J^1K
8 *Ap(p)ollonio* Φ *Appollinio* J *Apollinio* K
11 *quoque quos* $HL^2\rho$ *propter quos* $F(L^1?)O$ *quoque propter quos* Montep. *uel quoque propter quos* JK
ib. *in sinum* Φ *ui sin(um)* L^1O *ui si* $\bar{n}$(= *non*) K *ui sine* J^1
12 *confessus es* Φ *conf. est* J^1K
speraueras J (ex sil.) $L^2\vartheta\rho$ *superaueras* KL^1 *superuacua* O
20 *diuidimur mari* Φ *diuidimur* (*malim* ς) *malia* (L^1?) Oς *diuiditur malum* J^1K
22 *magnam potentiam* Φ *magna potentiam* J^1K
1, 1 *circaque se* Φ *circa se* O *circa seque* FJK *interim* Φ *interimi* J^1K
1, 2 *in Germania* Φ *in gramina* J^1K.

porro depravatum K, sanum J cum saepe tum hisce locis videmus:

IV praef. 18 *animum in tanto* J = Φ *animo in tantum* K
ib. *manum* J = Φ *manu* K
ib. *magno teste* J = Φ *magno hoste* K (L^1?)
1, 1 *inde te* (vel *in̄ te*) Φ *iñte* (vel *m̃te*) J *mente* Kς
ib. *quamuis* Φ *quam uix* K.

raro K sanus, ubi J depravatus invenitur:

IV praef. 18 *derisus es* K = Φ *derisus est* J^1L^1
11, 2 *manifesta est omnium* $\vartheta\rho$ *m. est in omnibus* λ *manifesta in o.* K *manifestata in o.* J
11, 4 *ita* J^1 corr. = Φ *uti* J^1 *uta* K
VII 28, 1 *Caldei canunt* K = Φ *Caldei autem* J^1
29, 3 *nec cum fiducia* K = Φ *nunc cum fiducia* J^1 (L^1?) *nunc fiduciam* O

30, 6 *aetas . . . subibit* K = Φ *estas . . . subbit* J^1
32, 4 *adeo*] om. J.

his exemplis aptissime ille adicietur locus in K bis exhibitus (Ka et Kb), quem ex λ olim edidi (*Sen. Stud.* p. 46), nempe II 48,1 —52,1. nunc igitur quaecumque ex J ad apparatum illum accedunt, quam brevissime subnotabo.

l. 1 *est*] om. J^1Kab *omnis*] *omnes* J^1Ka (b?) 3 *inspicienda*] *insipitienda* Ka *fulgure*] *fugure* J^1 *figure* Kb 5 *dediderat* J O *dederat* Kab L 6 *ubi*] om. Kb 7 *faciam*] *fatiam* J Kb O 8 *stringam*] *stringuam* Ka 9 *postul.*] *postculatoria* J *post culat.* Ka 10 *non*] om. Ka 12 *fallatia* J = λ *speciem*] *spetiem* J 13 *hereditatem*] *heredeatem* J^1 14 *compendium* J Ka] *conp.* Kb O 15 *Peremitalia* J Ka L] *Perentalia* O *Peremptalia* Kb 16 *fulminum*] *fulmine* Kb *fluminum* J^1 *minę* Ka b (i. e. *minae*)] *mine* J L *in me* O *quę* Ka] *que* J Kb L O 17 *at(er)-teranea* λ?] *atertanea* O *at(er)terranea* J *adterranea* L *alteranea* Kab 18 *comitium* L] *commitium* J Kab *comitum* O 20 *exiliuit ignis* Kab *exiluit ignis* L *exiliunt ignis* O *exiliunt ignes* J (ex sil.), fort. *exiliunt ignis* λ 22 *se d(omi)no* J Kab O 23 *affirmant*] *affirmauit* J (ex sil.) 26 *etruscorum*] *etrusorum* J^1, sed statim corr. 27 *ad*] om. Ka *Quaedam*] *quedam* J 28 *ad nos peru.*] *ad nos non peru.* J (ex sil.) L^2 32 *pror.*] *prerogari* J Kab 33 *a*] om. J^1Kab.

in hac tabula ne minutias quidem codicum J^1Kab praetermisi, quia magna produnt; veluti apices ad lineam 17 enotatae aetatem codicis K satis bonam produnt, coniecturae ll. 8, 9, 17, 20 prolatae scribarum ingenium scientiamque monstrant (nam coniectura tantum l. 9 *postul.* in Kb restitutum est.).

correcturae denique (J^2) unde fluxerint, infra probabo, neque enim e λ eas manasse iam constat.

De ϱ stirpe.

Tertii meliorum librorum generis unus tantum testis olim mihi praesto erat prorsus conlatus (P). ceterorum qui eiusdem stirpis esse visi mihi innotuerant aut memoria oblituit veluti Memmiani fortasse deperditi aut aetas nimis recens et verba ipsa mendosissima sunt ut Monacensis U aut aditus mihi quidem praecluditur, scilicet ad codicem Escurialensem. duobus vero codicibus ST ex eadem derivandis stirpe nunc conlatis et tertio R examinato haec quoque certius circumscribi et affinitas codicum imagine quadam exprimi potest.



en conspectus codicum:

P est Parisinus lat. 6628 olim Colbertinus membr. in foliis 114 formae octavae exaratus (cf. *Sen. Stud.* p. 37 nr. 38). hunc in catalogo librorum saec. XII attributum equidem saec. XIII ineunti adscripsi, exeunti tribuere Lejay mavult. O. Rossbach, qui de aetate libri mecum consentit, prior librum contulit et collationem totius nuper mecum communicavit.

Escurialensis codex O III 2 (103) saec. XIII/XIV esse perhibetur (cf. *Sen. Stud.* p. 37 sub 37) atque codicis P tamquam frater gemellus vel filius videtur fuisse, uterque enim cum codice Becensi saeculi fort. XII, qui periit (cf. *Sen. Stud.* p. 37 nr. 36), adeo conspirat, ut aliunde descriptus esse vix possit.

U est codex Monacensis 11049 saec. XV (cf. *Sen. Stud.* p. 38 sub 39), quem Berolinum missum inspexi.

denique codicem Memmianum olim magni aestimatum, nunc ut videtur deperditum, eidem stirpi adtribui (*Sen. Stud.* p. 40 nr. 47).

T, qui nunc in lucem prodit, est codex Parisinus 6386 (olim Colbertinus 1181, deinde Regius 4978. 3. A) membranaceus in folio scriptus; foliorum 50 vel 51 litteras continent 2—50, i. e. septem quaterniones vel triones; paginae binis columnis exaratae sunt saec. XIII, fort. ineunte. nomen qui olim codicem possidebat in margine folii 2^{r} adscripsit '*Petrus Colarii Brugensis*'. insunt Nat. Quaest. octo libelli IVb—VII, I—IV, atque singuli numerantur (1—8), deest vero totius operis titulus itemque subscriptio. interciderunt 2—4 fere folia inter f. 3 et 4, scilicet mediae primi quaternionis (f. 2—5) paginae, quae verba *umbremque transeant* . . . (IV 12) usque ad . . *Asclepiodotus auctor est de-*(V 15, 1) exhibebant. praeterea desunt in folii 37^{v} columna priore verba *si dicas flamme* . . . (II 34, 3) — *cadunt sed affata* (II 53, 2), scilicet in fonte codicis T omissa, qui sine dubio similem atque postea T iacturam perpessus est. codicem et Rossbach Lutetiae Parisorum et ego Gryphiae contulimus.

S est codex Montepessulanus H 445 e schola medicorum oriundus membranaceus formae octavae, saeculo XIII fere ineunte in 167 foliis exaratus, quorum quaeque pagina binas columnas continet. in folio ceteris praefixo legitur: *Epistolae Sidonii Apollinaris et Annei Senecae cum libris de naturalibus quaestionibus. Codex MS. E. 97. Bibliothecae Buherianae MDCCXXI.* et f. 1^{r} accuratius, quae insint, a manu vetustiore explicatur. nimirum f. 1^{v} - 48^{r} Sidonii epistulae exhibentur, f. 48^{v} vita Senecae cum epistulis Senecae et Pauli, secuntur f. 49^{v} col. 2 sine titulo epistulae ad Lucilium datae '*Ita fac. — infelicissimos esse felices*' f. 159^{r} col. 2. f. 159^{v} vacuum est relictum. denique f. 160 *Incipiunt libri senece de naturalibus questionibus. De grandine liber primus* (= IVb). ultima nunc verba f. 167^{v} col. 2 leguntur *et imis ex* (VI 9), cetera enim folia avulsa perierunt. codicem contulimus cum ego tum Rossbach. imagines nonullarum paginarum arte photographica usus Otto Busse Dr. med. collega et amicus mihi benevolus confecit.

R est codex Genevensis bibliothecae publicae manuscr. lat. 77 membranaceus foliorum formae octavae 62 saec. XII fort. exeunte exaratus. cf. Jean Senebier (*Catalogue raisonnée des Manuscrits con-*

servés dans la bibliothèque de la Ville et République de Geneve, à Geneve 1779) p. 205, ubi ille Quaestionum fragmenta tantum inde a IV 3 usque ad librum VII continere falso dicitur. immo insunt libri omnes ordine sollemni exarati, quoniam post librum VII quem vulgo numeramus I—IVa leguntur; neque quicquam ibi deest nisi ultima libelli IVa verba *maria alternatis ultro citroque estibus* e. q. s. IV 2, 29—30. donatus est codex bibliothecae Genevensi ab Johanne Goulart saeculi XVII initio. unam paginam (f. 8^{r}) quae V 18, 8—14 exhibet Emilius Chatelain delineandam curavit (*Paléographie* tab. 170) atque per litteras me de codice certiorem fecit simulque Otto Rossbach, ut plura de eo discere cuperem, auctor exstitit. intercedente igitur Julio Nicole Genevensi H. V. Aubert, qui conservandis libris illis operam dat, totum codicem humanissime et accuratissime meum in usum descripsit nonnullosque locos cum editione Haasiana contulit.

neque titulus libro IVb praefixus in R neque subscriptiones libellis I—IVa additae sunt, sed prioribus subiunguntur quattuor hae: post l. IVb *Explicit tiber III de niuibus. Incipit liber IIII. de uentis.* post V *Explicit liber IIII* (*us*) *de uentis. Incipit liber. V. de terre motu.* post VI *Explicit liber V. de terremotu. Incipit liber sextus de cometis.* post VII *Explicit liber V.* [sic] *de cometis. Incipit liber VI. de discurrentibus.* errorem huic simillimum in codice Escurialensi O III 2 admissum esse G. Müller p. 13 adnotavit. numeros vero libellis IVb—VI subscriptos satis antiquos esse inde patet, quod iidem in codicibus HLM aliis recurrunt (cf. supra p. 11 et 14) neque ab optimis Δ classis libris prorsus absunt (cf. *Sen. Stud.* p. 30 sq. et 84 sq.).

codicum ST subscriptiones rationem numerandi sapiunt istam recentiorem et paene vulgarem, qua usi codicum KPU Vincentiani scribae octo libellos numeraverunt; atque Escurialensis O III 2 rubricator etsi ex errore septem dedit, ceterum maxime cum ST congruit (cf. *Sen. Stud.* p. 40 sq.).

IVb *Incipiunt libri senece de naturalibus questionibus. De Grandine liber primus.* S; titulus deest in T, sed man. rec. *Seneca de naturalibus questionibus* addidit.

V *Incipit secundus de uento* S similia lacuna hausit in T

VI deest titulus in S. *Incipit liber III* (*us*) *de terremotu* T,

cui titulo e P addendus est *Liber III (us). Inc(ipit). De terremotu.*

VII *Liber quartus de cometis* T

I *Explicit liber IIII (us). Incipit liber R quintus de arcu celi* T

II *Explicit liber V (us) incipit VI (us). de fulmine et tonitruis* T

III *Explicit liber VI (us). Incipit liber VII (us) de aquis frigidis uel calidis* T

IVa *Explicit liber VII (us). Incipit VIII (us). quare nilus crescat in estate* T.

iam gemellos esse ST codices eosque quodam modo cum Parisino P cohaerere ut probem, paucas perlustremus paragraphos.

V 18, 9 extr. *committimus fluctibus*] *fluctibus committimus* ST
optamus uentos] *uentos optamus* ST
10 *nos mala nostra*] *mala nostra nos* ST
rapuerunt?] *rapiunt?* S
furere] *fuere* T^1
uincet] *uincit* T *uic(it)* S
Alexander] ante *ulterior* Φ post *Indis* ST
queretque] *quereretque* T^2
esse aliquid] *aliquid esse* ST
hominum et deorum] *deorum et hominum* ST
11 *i(m)merito* $P^2 = \Phi$ *merito* P^1ST
inhibito] *inihibito* T
quemque $P^2 = \Phi$ *quoque* P^1T *quosque* S
quisque] ante *tantum* $P = \Phi$ post *suorum* ST
nasceretur] *uasceretur* P^1
12 *nulla*] *nul* S finiente linea
emittere $P^2 = \Phi$ *remittere* P^1ST
aliquod $P^2 = \Phi$ *aliquem* P^1 *alii* ST
scio] om. P *sciam* ST
pars erat pacis] *pars pacis* ST.

nimirum ST tam arte cum P vel P^1 conecti, ut ex alia stirpe derivari nequeant, pluribus exemplis firmabo.

IV(b) 3, 2 *in illo*] *in eo* PST
3, 3 *quod et in speculis*] *quod in speculis* KPST

4, 2 *est mutatio aeris* EJKLO *mutatio est aeris* FH *est aeris mutatio* PST

9 *minora foramina*] *foramina minora* PST

10 *hoc sincerior*] *sincerior* PST

I 1, 7 *quaedam calentia*] om. PT, ubi S deest.

denique gravissima est falsa verborum collocatio haec:

VII 11, 3 *quorum cum post longum tempus appareant formae, inter se eos comparare difficile est:. illo ipso tempore, quo apparent, inter spectantes de habitu illorum non conuenit.* Φ

quorum cum post longum tempus appareant / illo ipso tempore quo apparent / forme, inter (*illis ter* P) *se eos comparare* (*comparere* T) *difficile est. / inter* (om. T) *spectantes* (*spectates* T) *de habitu* eqs. PT

hic alibique codicem S olim cum PT conspirasse non est, cur dubites. ceterum illius fragmentum quod adhuc exstat si contuleris, lacunas ampliores non reperies, nisi VI 1, 2 verba *Regulo et Verginio* (*unguuo* P) *consulibus* omissa esse in S enotabis. plura in P, plurima in T omissa sunt, neque vero eadem verba. haec enim in P desunt:

III 12,3 *quid ergo miraris, si rerum nature* post *est nature* (sic coll. JKLOT *nature est* EHP)

III 29, 4 *maris, maris quoque in cursu* post *in cursu*

VII 14, 3 *quidem potest dici,* ubi T *quidem* om.

VII 27, 2 *quamuis similia non sint, sic nihil prohibet cometas eternos esse* post *sidera* (*secunda* P) *esse.*

contra T solus haec omisit:

I 3, 5 *a singulis ergo reddi imaginem solis* coll. post *confundi*

I 3, 6 *in singulis foliis — imaginem solis* post *imagines solis,* ubi plura om. Θ

I 5, 1 *quodcumque uidemus. sed quomodo*

I 16, 5 *spectabat admissos sibi pariter in omnia viros*

II 16 *fulgurationem et fulmen interest? dicam* ante *fulguratio*

III praef. 6 *sine hoste non poterat* post *pati poterat* (sic TΦ *poterat pati* P)

III 18, 1 *et in* (*inter* P^1) *ceteras facies* ante *inter*

III 26, 5 *quidam fontes certo tempore,* ubi plura om. Θ1

III 28, 1 *magno impetu magna ferienda sunt*

III 29, 7 *nihil scilla: omnes nouum mare fabulas obruet* (*obrues* P)

IV(a) praef. 2 *quod est miserrimum, numquam sumus singuli*
2, 22 *quamdiu etesie tempus obseruant*
VI 17, 3 *quod dicitur uerum esse et illo probatur*
23, 4 *uel in illas mare* post *in mare*
VII 1, 3 *ad minuendos dies uertitur, quod a solstitio* (*solsticio* P) post *a solstitio* (*-ticio* HPT) om. T itemque MO
12, 6 *quemadmodum rubicunda fit nubes solis incursu* (ubi *sol. inortu* P)
25, 5 *nam hoc illi nomen imposuere cedenti*
29, 3 *inferius. primum non defertur quod circum* (*circon-* P) *fertur* post *deferuntur*, ubi ceteri codices Φ *inferius deferuntur. primum* coll.
32, 1 *nisi quam — studium* ante *nisi.*

tot omissorum enumeratio ab editione sane abhorrebit, in praelusione deesse non debet, ne quis de fide codicis in dubio relinquatur neve codicibus cognatis, si qui in lucem protracti erunt, suum locum deneget.

codicis R cognatio multo difficilius e paucis lectionibus inde enotatis erui potest. scilicet lacunae inde nullae mihi innotuerunt, immo pluribus locis integer est, ubi aut ϑ aut λ sententiolas quasdam omiserunt:

V 1, 3 *quia — agitatio* om. ϑ, praebent λρ R
VII 10, 2 sq. *suspicionem — nobis* om. ϑ2
VI 30, 3 *celebrant — infimo* om. λ, praebent ϑ J^2 L^2 ρ R
VII 1, 3 *ad min. — solstitio* om. MOT, praebent ceteri
VII 12, 6 *quemadmodum — incursu* om. T, praebent ceteri.

nimirum VII 11, 3 verba *illo ipso tempore quo apparent* quae in ρ primum omissa deinde falso loco post *appareant* suppleta in PT leguntur, suo loco ante verba *inter spectantes* in R exstant, sed vereor ne eum correctori demum debeant, nisi forte e margine illuc irrepserunt.

ceterum R cum T hisce corruptelis coniungitur:

VII 1, 3 *statum*] *statim* PRT
12, 6 *uespertina aut* (*et* P) *matutina*] *matutina aut* (*et* T) *uespertina* RT
16, 2 *aspersit*] *asperserit* ERT

ibid. *hoc cometem* (*-ta* P) Φ sane corruptum] *hic cometem* ET ex emendatione, *hic cometes* R

R solus aliquoties corruptus est:

V 1, 3 *quoque in hac re* ρλ] *in hac quoque re* R *in hac re* ϑ

VII 1, 3 *a solstitio . . . a solstitio* Φ] *a soltitio . . . ab equinoctio* R.

denique eandem R atque Montepessulanus 116 interpolationem VI 30, 3 praebet, ubi traditum quod est *sic hanc inundationem* (EHJ²KLOP) in T emendatur *sic per hanc inundationem*, in R et Montep. *sic hac inundatione.* neque igitur aliter de VI 1,2 iudico, ubi *Regulo et Verginio* (*ũginio?*) *consulibus* in ΔΦ traditur, unus R *R. et Verg. Rufo cons.* Chatelainio teste praebet.

sed de his similibusve interpolationibus dicendi tum locus erit, cum ceteros tertiae stirpis codices adiunxero. de R nihil addo nisi me dolere, quod totum codicem conferre non potui: neque enim Genevenses codices nobis mittuntur neque ego ad iter vacabam neque aliis tantum negotium iniungere licebat.

porro codex Opsopoei Memmianus magis cum P quam cum ST consentit, vix tertii cuiusdam fili est. sunt enim, ubi P et Memmianus simul depravati deprehendantur, neque talia pauca tantum quae comparentur nobis praesto esso, quia lectiones nisi optimae vix olim ex bonis illis exemplaribus enotabantur, obliviscamur: nobis vero vilissimae tantum et aperte vitiosae ad cognationes indagandas prosunt. itaque parvo testimoniorum numero contenti debemus esse.

I praef. 2 *supra hanc* T = Φ *hanc supra* P Memm. vitiose

1, 12 *unde* T = Φ *ubi* P Memm. vitiose

3, 5 *quidam ita existimant* (*estimant* P) Φ = P Memm. *quidam estimant ita* T

ibid. *euntes* P Memm. = λ(Φ) *transeuntes* TΔ

3, 10 *toto*] om. P Memm.

II 14, 1 *ex locis superioribus* P = Φ *ex sup. locis* Memm. *ex hiis sup. locis* T

V 4, 1 *haec negas* P Memm. = Φ *hoc negas* S = ϑ

VI 32. 5 *insularum*] om. P Memm.

ceterum codicem Memmianum prorsus ab interpolationis suspicione liberum non esse olim (*Sen. Stud.* p. 48) observavi, quoniam I praef. 2 *caliginem* ante *in qua uolutamur* Memm. ε (et Bongar-

sianus collocant et § 6 idem cum A^1B^1 *ardens* praebet, non *perdens* (Φ). at tamen paucis locis interpolationes videntur receptae esse.

denique U codicem Monac. cognatione quadam artiore cum P cohaerere neque vero etsi recentiorem vilioremque e P descriptum esse olim (*Sen. Stud.* p. 49) ex paucis testimoniis de U sumptis probare conatus sum. nunc P et U artius inter se quam cum RST cohaerere inde conicere audeo, quod II 59, 13 RT cum Φ *nisi quod effugit* praebent, P *non quod effugit*, U *quod non effugit*; III 25, 5 *nec extabit* Φ *nec exstabit* T *nec estabit* P *neque stabit* U; III 30, 8 *etiam* ϑR *et* λPU *at* T; VI, 1, 1 *celebrem* RSTU = Φ *celebrant* P. neque vero ea sufficere, quae ex U enotavi, haud ignoro, neque, quod codicem vilissimum sprevi, me paenitet.

ipse enim P conlatis ST optime adeo corrigitur, ut ipsa stirps (ρ) quae praebeat vel praebuerit iam strenue circumscribi plerumque possit; conlato R tota fere restitueretur. quae vero inter codices PU Memmianum Escurialensem intercedat ratio, accuratius adhuc definiri nequit.

De quodam interpolatore (χ).

Codicem E Berolinensem saepe a codicibus FH ceterisque eiusdem classis (λP) recedere lectionesque praebere cum singulares tum speciei optimae in Studiis meis monui easque interpolatori cuidam sagacissimo deberi probavi (pp. 60—68). qua in re etsi sunt fortasse qui offendant, tamen interpolationes manifestae sunt. neque vero illae ab ipso codicis E scriba aut correctore excogitatae sunt, neque enim in margine notantur sed in verborum contextum irrepserunt: itaque in exemplar stirpis ϑ1 nescio quod unde E fluxit iam illatae fortasse in margine legebantur. inde enim etiam in multos deterioris classis codices facile inferri potuerunt.

his nunc habeo quae addam memoria dignissima, quibus et ratio nostra stabiliatur et scientia artis philologicae ingeniorumque medio aevo florentium haud mediocriter illustretur. nam eaedem fere interpolationes in codicibus ST supra adumbratis, pauciores in J^2 recurrunt, quamquam J^1 e λ stirpe vel ι manavit atque ST a

tertia stirpe separari non possunt. atque tam mire multis locis ST, ubi primum evolvi, cum codice E consentire mihi videbantur, ut primo aspectui obsequiens stirpi ϑ illos attribuere vix dubitarem. iusta vero ratione cum ST libros tum J^1 ceteris melioris classis stirpibus adscripsi. itaque correctorem J^2 libro quodam alius originis eoque correcto vel potius interpolato usum esse atque inde lacunas saepe explesse raro verba tradita expunxisse saepissime stirpis λ vitia emendasse necesse est concludamus. neque adeo aliter se res in codicibus ST habet vel potius in exemplari illo vetustiore, unde uterque descriptus est. neque vero omissa a stirpe ϑ in E neque lacunae stirpis ρ in (S)T suppleta sunt. nimirum ille quidem J^2 corrector totum fere codicem cum J^1 contulit, sed isti, quibus scribae EST codicum libellos emendatos debuerunt, labori pepercerunt et eas tantum in contextum verborum correcturas receperunt, quas in marginibus adscriptas invenerunt, harum vero paucas praetermiserunt.

easdem fere interpolationes in codices EJ^2 ST irrepsisse dixi: paucas enim in E vel (S)T, plures in J^2 praetermissas desideramus; et rarissime in illis reddendis codices inter se paulo discrepare videbimus. unde suo Marte scribas verba tradita emendare conatos esse minime probatur, immo multo illa ratio praestat, qua unus idemque homo cum sagacissimus tum audacissimus, qui mihi χ audit, corruptelas tollere non plures conferendo codices sed coniecturas excogitando videtur temptasse. hunc sane alii imitati emendationes vel aliquas vel plurimas receperunt, atque alius aliam addidit, sed raro ingenio freti pleraque quae protulerunt ex variis codicibus sumpserunt. unus vero ille qui codicem δ scripsit aut illud exemplar unde B C Prag. pendent confecit, cum turpiter lacerata et corrupta verba videret, nimis iam coniecturandi libidini indulgens novum paene contextum edidit.

atque ab his interpolationibus (χ) paene liberi codices HJ^1KL^1OP manserunt. paucae in excerpta (M) inlatae sunt, plures in FJ^2ς Alberti Vincentii Bongarsii libros, plurimae in EST et, si recte ex paucis lectionibus inde enotatis concludo, R. de classe Λ enim infra disseram: ceterarum interpolationum maxima pars illi viro singulari deberi videtur.

huius exemplar notis marginalibus (χ) postea correctum cuiusnam fuerit originis, quamquam difficile definitur, tamen equidem stirpi λ illud quam ϑ aut ρ adscribere malo. velim enim conferas haec exempla:

III 24, 3 *sine igne*] om. EJ¹K

IVa praef. 1 *rerum hominumque*] *hominum rerumque* EJK

VI 7, 5 *esse in abdito*] *esse in abscondito* λ *in abscondito* E

VII 9, 2 *diu*] ante *verticem permanere* FHPT(Φ) supra lin. ϑ¹λ post *permanere* JK ante *perm.* ELO om. δ *diu vert.* (om. *permanere*) ς

27, 4 *quae*] qui EL.

plura exempla antea congessi (*Sen. Stud.* p. 68); neque vero desunt, ubi E cum P stet, ST cum ϑ2λ conspirent (VI 1,9. 27,4).

iam vero apertas quasdam interpolationes imprimis E(S)T codicum perlustremus.

II 20, 2 *effixa esse aliquando* Φ(FHJKLOP) *fieri et esse aliquando* Λ *fieri aliquando* T *aliquando fieri* E *effici aliq.* Vincentius

21, 2 *nisi ex . . . .* Φ (sine lacuna λP) *nisi ex eo quod* EJ²T om. Λ *nisi ex eo* Montep. 116 et Madwig

25 *ex nube quam ex aqua* Φ <*fieri* E Vinc.> *ex nube* <*fieri* T> *quam ex aqua* <*generari* Λ> ΛETVinc.

32, 4 *fit*] *ratione fit* ET

III 1, 1 *de terrestribus aquis* Schultess em. *de terris quibus aquis* Φ *de aquis* Λ *de terris et aquis* Eton. *de terris de quibus aque fiant* T *de quibus rebus aque* <*fiant* E> E Vinc.

6, 1 *id* (*ad* KP) *illam rursus emittere* Φ *in flumina rursus emitti* Λ *ad ima trahi et ad illam rursus emitti* ET

14, 3 *quantum superfluum sit* Λ *quantum semper fluere* <*opus* ET> *sit* Φ

16, 5 *quia deest* ΔΦ *quibus deest* ET Alb. *quibus ideo deest* Vinc.

23 *ex posterioribus* ΔΦ (etiam J: itaque ex errore K praebet *ex poterioribus*) *ex superioribus* ET

25, 4 *est flumen, ad quod* Λ om. Φ *amnis* (*annis* T) *est ad quem* ET *ad fluuium quod* Alb.

VI 29, 2 *consipere* Φ *concipere* Δ *non desipere* 𝔉1 T

V 4, 2 *semper concoquit* ΔΦ *semper concoquit*<*ur* E> *sic emittit* ES Ermolai codex

5, 2 *an hoc* ES(ς?) *in hoc* Φ om. Δ

ib. *ederet* Δ *edere* Φ *edere posset* ES *edere possent* ς

ib. *summo* ΔΦ *summo earum* ES Pal. 3

VI 9, 1 *ignem causam motus quidam, et quidam non, iudicant* Φ *i. c. m. q. sed* (*et* EST) *quidam* <*sed* EST> *non ob eandem causam iudicant* ςEST.

hoc exemplum ultimo loco prolatum aperte docet codicum EST scribas emendationem receptam ne intellexisse quidem, quoniam is qui verba supplevit (χ) *sed* minime ante *non* additurus immo *et* correcturus erat: sic enim optime particulam adversativam acceperunt codicum cgm et (ubi *set quaedam* exstat) n interpolatores atque paulo neglegentius Palatini tertii scriba *quidem sed et quidam non* exhibuit (nam codicem p plura hoc loco ut multis cum stirpe δ mutasse non curo). itaque *sed* particula in 𝔉1 supra verba *et quidam* scripta fuisse videtur: quae si codicum EST scribae intacta linquenda esse putabant, *et quidam non sed non ob e. c.* reddere debuerunt. manifesta igitur interpolatio est.

neque aliter nunc de II 20,2 supra exscripto iudicaverim, ubi interpolator χ *fieri* (an *effici?*) *et esse* quod in Δ traditur coniecisse videtur; scribae demum codicum ET Vinc. *et esse* omiserunt, fortasse enim *vel esse* cum legerent variam tradi lectionem eamque superfluam putaverunt. neque igitur necesse est, quod antea posui (*Sen. Stud.* p. 64), ut quendam deterioris classis codicem interpolatori praesto fuisse sumamus.

interdum autem etsi raro eadem verba interpolata in codice J recurrunt, scilicet manu correctoris (J^2) hic inserta. quamquam interpolationum statim ex EST prolatarum nulla ad correctorem J^2 manavit nisi II 21,2 *eo quod*, eaque aeque in E(vel 𝔉1)J^2T recepta. huic tamen exemplo quae addam habeo:

III 25, 9 *materia*] om. EJ^2T *leuitas* Vinc.

26, 7 *estuat* FJ^1KLOPT *exestuat* 𝔉1HJ^2

27, 7 *auctus* 𝔉λT in ras. *actus* J^2P (T^1?)

27, 8 *rapida* 𝔉2λP *rapta* 𝔉1J^2T

28, 3 *a conspectu ueteris* (*interioris* ρ) *lit(t)oris*] *a c. ueteris* (*uentis* ς) *lit(t)oribus* ϑ1 J^2

28, 4 *equo*] *equor* PT *uel equor* J^2 (sed man. prioris esse adn. Rossb.)

28, 5 *paria*] *maria* E^2J^2K

IV praef. 17 *potentium* ςλρ om. FHJ^2 plura om. E

19 *non singulos peccare nec* (*non* P) *paucos* ϑ2λP *in sing. p. non paucos* ς(ϑ1?) J^2T om. E

20 *subinde te*] *subinde me* J^2T *dubium me* ς(ϑ1? *te* g^1 *uie* g^2) om. E

V 4, 3 *ferri*] *fieri* ϑ1 *uel fieri* J^2 add.

itaque interdum et E (ϑ1) et ST cum J^2 conspirant; interdum aut E (ϑ1) aut ST, saepissime vero codicis J corrector interpolata illic recepta praetermisit.

atque Alberti Magni codex similem in modum correctus fuit et interpolatus. confer enim

III 26, 7 *fimum*] *fumum* L^1 Alb.

ibid. *colore foedo*] *calore fedo* PT Alb.

26, 8 *stramentaque*] *stramenta fragmentaque* Alb.

25, 4 *ad fluuium quod* (cf. supra) nescio an e Δ addiderit Alb.

itaque mixti generis esse quae Albertus e Seneca excerpta tradit, constat; plures enim codices aetatis suae[1]) moribus oboediens is, qui codicem ab Alberto postea usurpatum scripsit, contaminavit: ipsum enim illum Magnum falso appellatum talia fecisse, praesertim cum eiusdem interpolatoris χ vestigia detexerim, veri est dissimile.

plura igitur exemplaria plus minus interpolata olim exstitisse veri est simillimum, veluti illud quo Fortunatus vel in editione

---

1) Quae de codice Alberti p. 49 sq. monui, Lejay non rettulit sed reprehendit: *l'idée de rechercher* inquit *les mss. les plus anciens est une idée moderne; elle ne pouvait venir à Albert le Grand, encore moins qu'aux imprimeurs d'incunables* (*Rev. crit.* 44, 196). haec nimirum ne tirones quidem ignorant neque equidem vetustissimos codices ab Alberto Aldove selectos esse contendi, immo scripsi: *'obgleich Albertus nur Hdss. einsehen konnte . . ., die die ältesten erhaltenen Hdss. an Alter fast erreichen mussten, ist sein Text fast werthlos'*, i. e. quamquam plerique codices aut Alberti aetate exarati aut recentiores sunt paucique nunc exstant vetustiores, tamen illius codex vilis fuit. utrum enim ipse an codicis scriba pluribus exemplaribus usus sit, olim diiudicare non potui, nunc mihi posse videor.

Erasmus altera utebantur modo cum E modo cum (S)T modo cum utroque consensit.

I 1, 8 *ramenta* Φ *iumenta* K *stramenta* Δ(δ c m p) *fragmenta* g Ald. Erasm. 1 *sarmenta* T Fort. („ex coni." falso)

II 14, 1 *ex locis superioribus* Φ *ex his locis sup.* E Britannicus Erasmi codex *ex locis his sup.* Fort. *ex hiis sup. l.* T

ib. *et sic accendi* Φ *et <ex* E Brit.> *eo ardore sic acc.* E T Brit. *ardore et sic acc.* J (num J^2?) *ardere an sic acc.* Fort.

II 22, 3 *si tanta uis <ignem* J (ex sil., num J^2?) E T Erasm. 2> *excutit*

II 24, 1 *fulmen autem <cadit.* Vinc. T Erasm. 2> *eadem necessitate qua excutitur <decidit* Brit. Gronovii A m. rec.> ΔΦ

III 12, 1 *ergo*] *si* E Erasm. 2 add.

VII 12, 4 *atqui cometes* Φ *atqui cometae* T Erasm. 2.

neque alius notae fuit, ut de codice Britannico (cf. ad II 14,1) taceam, codex Bongarsianus vel Cuiacianus a Bongarsio adhibitus (cf. *Sen. Stud.* p. 22 nr. 30), qui quodam modo cum δ cohaerere videtur, artius vero cum (S) T et ς (E) cohaeret:

I 6, 1 ante *ut ait Virgilius* interpolata praebent *arcus autem* (*ait* B^2 *a* p) *uentos aut pluuias aut serenum significat* B C p *quando arcus uentos quando pluuias quando serenum significat* Bong. T

IVa praef. 2 *tam magno* Φ *tam magnorum* Bong. ς (g m p Pal. 3, *tam* om. c) *tanto* E

IVb 13, 7 *uitiis*] *intus* Cui. ς (c g^1 m p) PS

VI 32, 4 *hominis anima . . . . contemptus animae*] *h. uita . . . . c. uita* M Bong. Vinc. *animalis vita . . . vitae animalis* E^2 i. marg.

VII 1, 4 *magna mirari*] *cotidiana mir.* Bong. *magna cotidiana mir.* T.

hunc codicem Bongarsianum, quippe cuius menda in codicibus ς vulgaribus quoque exstare viderem, eidem stirpi olim adscripsi (*Sen. Stud.* p. 22). nunc haec quidem interpolatori χ deberi ratus ipsum codicem e stirpe ρ fluxisse puto, id quod hisce locis probatur:

VI 32, 2 *quem enim*] *quem* Bong. P T

VII 3, 3 *praeternissurus*] *postmissurus* Bong. *pot(est) missurus* P.

simillimus igitur Memmiani fuisse videtur codicis ex eadem origine orti neque vero eundum in modum interpolati (cf. p. 26). errant enim, si qui cum Fr. Haase *qui olim usurpati sunt codices Memmianus et Bongarsianus, et si qui alii fuerunt his similes, vetusti et ab interpolandi libidine immunes, eorum nunc tenuis et ambigua memoria exstat* (Praef. ed. p. IV) iudicant.

una sane quaestio nobis solvenda restat, quoniam vinculo quodam χ interpolatorem codicesque ϑ1 J^2 S T Bong. Memm. cum libro B vel stirpis δ libris coniunctos videntur esse, utrum interpolatorem hac codicum classe usum esse an horum scribas interpolatis χ censeamus. atqui interpolata ab interpolatis distinguenda sunt; neque enim omnia ad χ redire constat. immo aliud observamus interpolationum genus, quod e codicibus alterius classis manavit. atque hoc in eodem codice T vel codicibus ST deprehenditur, ubi nonnulla folia interpolatis ex δ verbis scatent:

I 1, 4 *rerum omnium certus* (*textus* E) *ordo* Φ *certus ordo omn. rer.* A B C Prag. T

1, 8 *tantum collisa possint* Φm *tantum coll. possunt* A B C Prag. g^1 *tanta coll. possunt* T

1, 9 *existimare* Φ *est existimare* (*estimare* BC) ΔT

1, 11 *interdum* ter A Prag. ς Φ *interdiu* ter B^1 T bis C

1, 12 *inter lunam terrasque est* Φ *inter lunam et terras* (*stellas* g m) *est* Δ E *est inter lunam et terras* T

1, 14 *alii autem inter* Φ *alii in* ΔT

2, 2 *fieri*] ante *primum* Φ ante *deinde* T om. Δ

ib. *soluatur*] *soluantur* CT

ib. *sentire plagam* Φ *plagam sentire* ΔT

ib. *in circulos*] *in circulo* B^1 T

ib. *lumine percussus* Φ *perc. lum.* Δ T Montep. 116 *percussus* F.

haec sane ex Δ interpolata neque in E traduntur nisi *et* I 1,12 neque vetusto illi χ interpolatori debentur, sed id stirpis ρ exemplar, unde ST derivati sunt, ipsum cum duobus codicibus conlatum esse apparet: unus enim liber ad exemplar χ correctus, alter ipsius δ stirpis fuisse videtur.

quibus rebus consideratis iam quaeritur, num recte olim

(*Sen. Stud.* p. 64, alibi) codicem quendam stirpis δ vel mixti generis (ε+ς) interpolatori χ praesto fuisse contenderim. exemplis enim supra p. 29 sq. ex II 20,2 et VI 9,1 allatis in utramque partem uti potes. neque vero est, ubi deterioris classis codicem a χ adhibitum esse cogamur profiteri. praestat igitur opinari illum uno libro contentum suoque ingenio fretum coniecturas promulgasse. cui opinioni quid obstet nescio, multa eam adiuvant.

neque tamen codicum δεζ interpolationes a χ prorsus alienae sunt. interpolator igitur χ, si iis non usus est, illorum codicum scribis correcturas ipse suppeditavit. neque hoc veri est dissimile. codices enim δ semel vel pluries ex λ correctos esse mihi videor probasse (*Sen. Stud.* p. 79), atque eiusdem stirpis exemplari interpolator χ usus esse nobis supra p. 29 videbatur: haec igitur secum congruunt. atque iam velim locum inspicias VI 7,5 mirum in modum traditum:

quo minus habeat aliquod etiam in abdito litus HJ^2 L(Φ), ubi *habeat hoc aliquod* P *aliquem et in abd. littus* (*tt* etiam J^2) J^{1}K praebent, *etiam* om. O.

q. m. habeat habet aliquod et in abdito (*abscondito* A^1) *etiam aliquod litus* A (δ?)

q. m. habeatur aliquod etiam in abdito (*abscondito* ς) *littus* (*litus* ς) ST ς *q. m. habeatur in abscondito etiam aliquod litus* E

q. m. illic quoque habeatur. Habetur aliquod etiam in abscondito littus p

q. m. illic quoque habeantur. habentur aliqui et in abditos sinus et aliquod litus B.

itaque *habeat habet* e varia lectione in δ orta esse, *habeatur* interpolatori χ deberi apparet. atqui utraque interpolatio in codices Bp recepta est. inde interpolata χ scribis codicum Bp recentioribus innotuisse constat. quoniam vero B saeculo XII exaratus est (cf. infra), interpolator iste intra annos fere 1050—1150 vixisse putandus est. saeculo enim priori non est cur eum adscribamus.

quae si recte disputavi, cuiusnam scholae et originis interpolator ille sagacissimus fuerit, quaerimus. atque Francogallum eum fuisse ut sumamus, ex illis notis et subscriptionibus sequitur, quas olim (*Sen. Stud.* p. 88 sq.) congessi. neque aliam illis temporibus floruisse scimus scholam nisi Cartonensem, quae quidem auctores veteres tam-

quam resuscitaret et studio diligentissimo foveret. qua de re Eduardus Norden cum nuper luculenter dissereret (*Die antike Kunstprosa*, Lips. 1898, II 712—724), excerpta Parisina (M) iisdem viris attribuit (p. 720, cf. supra p. 14). huius igitur scholae eum fuisse virum coniecerim, qui sedulitate et sagacitate plurimos locos Naturalium Quaestionum corruptos indagavit et medelas attulit tam acutas, ut partem coniecturarum ne hodie quidem sperni liceat. at coniecturae meae obstat, quod exemplar Naturalium Quaestionum illud demum in civitatis Cartonensis bibliothecam venisse memoratur, quod Johannes Sarisbarensis (qui mortuus est a. 1180) possederat. cf. *Sen. Stud.* p. 88. itaque interpolationum χ origo ipsiusque interpolatoris adhuc latet.

tamen interpolata manifesta sunt, quae inde a saeculo XII medio vel exeunte plura exemplaria tamquam inundaverunt. has igitur undas aquatiles vel potius spirituales ne cum venis sanguineis confundamus, valde cavendum est. nimirum in nostris stemmatum imaginibus illi undarum fluctus reddi vix possunt.

De classe Δ.

Deterioris classis quam Δ nominavi libri, quotquot innotuerunt, a libelli I praefatione incipiunt et contextum verborum praebent cum miro modo depravatum et lacunosum tum audacissime interpolatum. qua de re ipsum codicis Δ scribam verba archetypi aut saepe non perspexisse aut festinanter plerumque et incuriose descripsisse appareret. atque archetypus antea quam illi scribae innotuit gravissimum traxerat mendum: capita enim inde a III 25,6 usque IV 2,30 interciderant. ceteri igitur libelli I—III 25,6 et IVb—VII in melioribus codicibus δ et Italis insunt, deterior stirps (ε) nihil nisi I—III 25,6 e Δ sumpsit. itaque hanc fere utriusque stirpis imaginem proponere licet:



vetustioribus codicibus omnibus undecim lacunas ampliores esse communes olim dixi (*Sen. Stud.* p. 8 sq.):

I 1, 6 *sic — fulmina* post *fulmina* om. A B C Prag. c g m p Ald. codices Dalechampii et Mureti, praebet Pal. 3 (de ceteris stirpis ε codd. non constat)

I 2, 9 *temperatum — apparet* post *apparet* om. A B C Prag. c g¹ m p, *apparet* prius om. Pal. 3.

item II 9,3 sq. II 12,2 sq. II 14,1 II 40,5 II 41,1 II 55,3 II 59,3 III 11,1 eadem verba in δ et ε, id est in Δ, omittuntur, quamquam pleraque in Aldina g² Palatino tertio suppleta exstant. praeterea eadem fere menda et interpolata saepe ex utriusque stirpis codicibus enotata habemus (cf. *Sen. Stud.* p. 24), quae eiusdem codicis Δ vitia fuisse fortasse tibi videntur: sin postea in codices nostros manavissent, nobis certa ratio non esset, qua puriorem olim Δ fuisse probaremus. neque vero interpolationes, quotquot in codicibus huius familiae exstant, eiusdem aetatis et originis esse veri est simile. ab hac enim interpolandi audacia sane mirum in modum per totam classem grassata codicem alium alio loco liberum mansisse olim probavi (*Sen. Stud.* p. 25 sqq.). adde, quod supra, quanam via interpolationes χ progressae etiam in (A?) B et plerosque stirpis ε co-

dices penetraverint, investigare conatus sum. quot vero interpolatorum manus in his codicibus distinguendae sint, prorsus latet semperque latebit, nisi forte integriores illius classis codices in lucem protracti erunt: tales enim desidero, non exspecto. nunc qualia classis Δ exemplaria ante medium fere XII saeculum fuerint, quoniam divinare non possumus, eae interpolationes, quae simul in codices ABC (et vulgares in libellis I—III 25,6) receptae sunt, ipsius Δ lectiones esse nobis videbuntur et sic valebunt; de ceteris aut in A aut in BC aut in ε recte pratermissis iudicium fortasse cohibendum erit.

neque tamen usque eo progrediendum nobis est, ut origine interpolationum recentiore quasi patefacta totam familiam ex ipso archetypo detruncato manasse negemus. neque enim codicem Δ e stirpe ϑ vel λ utraque lacunosa neque e ρ neglegenter scripta fluxisse probabile est neque ex ipso Φ. nam nonnusquam codices familiae Φ corruptos esse, in Δ sinceram servari lectionem exemplis quibusdam congestis manifestum fit (*Sen. Stud.* pp. 29 sq. 35. 77), id quod haec in Φ omissa satis probant: II 12, 1 *ista iaculatio cum ictu* post *conatio sine ictu* et II 33 *quemadmodum exploremus* ante *quemadmodum interpretemur*, *quemadmodum exoremus* (*exploremus* Φ). hoc enim loco verba *q. exploremus* in contextu sive archetypi sive codicis Φ primo omissa deinde in margine addita denique a scribis ϑλρ, tamquam verborum *q. exoremus* correctura adesset, in horum locum recepta sunt.

his igitur aliisque locis quod Δ meliorem quam Φ se praebet, paene doleo, quoniam paucis virtutibus tot tantaque vitia vix redimuntur. bonae enim lectiones quae in Δ traduntur fortasse omnia nos coniectando inveniremus, si codices huius familiae deessent: nunc totam fere corruptorum et interpolatorum farraginem curare Naturalium Quaestionum editores atque inter adnotationes criticas recipere debent.

De stirpe δ.

Lacunas stirpis δ, a quibus quidem codices vulgares (ε) liberi sint, olim congessi septendecim (*Sen. Stud.* p. 12 sqq.). codices tres attuli Germanicos et recentiores Italos sex (p. 10 sqq.), quibus nunc decimus accedit C. atque optimi huius stirpis codices hi sunt:

A est codex Leidensis 'Vossianus Lat. Oct. 55' saec. XIII exaratus, a me accitus.

B est Bambergensis M IV 16 dudum notus, cuius folii 9^{r} (Nat. Quaest. I Prol. 1—10) simulacrum nuper Chatelain tab. 168 dedit.

Prag. est codex Pragensis L 94, saeculo XII (?) exaratus.

codices B Prag. aut gemelli sunt aut Pragensis e B descriptus est. uterque enim praeter Naturales Quaestiones Asclepium dialogum praebet et Nemesium in sermonem latinum versum ab Alfano Salernitano (episcopo inde ab a. 1058, mortuo a. 1085, cf. Bäumker, *Wochenschrift für klass. Philologie* 1896, p. 1095 sqq.). atque Nemesium similiter in utroque traditum inde Holzinger a. 1887 edidit, Annaeana (ex Holzingeri benevolentia Georgio Müller et Ottoni Rossbach oblata) conlata I Prol. — 3,14 mihi praesto sunt: in his eadem fere menda Prag. exhibet atque B.

aetas horum codicum adhuc dubia videbatur. Bambergensem enim qui olim inspexerant saeculo XI attribuebant, nuper E. Thomas et G. Müller saeculo XIII exaratum esse maluerunt. atque hanc sententiam ego quoque olim amplexus nuper e coniectura abieci, postquam librum Sanctae Crucis (C) XII fere saeculi esse comparatis aliis eiusdem aetatis codicibus atque a Mueldenero edoctus cognovi. neque spes me fefellit, qua codices plane gemellos eidem aetati adscribendos esse putaveram. nuper enim Chatelainii auctoritate lis profligata est et simulacro edito in eo est, ut nostris oculis scripturam examinare facile possimus. neque codicem Pragensem alii aetati Holzinger adscripsit, qui unus fere eum inspexit.

sed iam plura de codice C disserenda sunt.

C est codex Sanctae Crucis monasterii in Austria inferiore siti. constat foliis 200 membranaceis formae quadratae. continet 1) Gregorii Naz. libros novem f. 1—87 2) prologum Johannis

Sarisbarensis in Passionem sti. Thomae etc. f. 88—143. 3) libelli cuiusdam metrici initium (*videtur congruere — ad inuicem omnibus modis*) f. 143^{v}—144^{r} 4) Senecae Nat. Quaest. sine titulo et subscriptionibus f. 145—200. in fine legitur *Lucii annei senece Liber Explicit*, et ab alia manu additum ✕ *L* ↘ *IIIIII folia Conus* (i. e. LVI fol.). f. 184^{r} vacuum relictum est, f. 184^{v}, quod verba *pluribus modis — ignavi aeris* (V 12,5—14,4) continet, f. 176 in verbis *nubes. quae* (V 12,5) exiens excipere videtur, neque igitur f. 184 quaternionem foliorum 177. 178. 179. 180 | 181. 182. 183. 184 claudere sed simul cum folio 177 (*erat extenuatum eqs.* V 14,4) foliis 178—183 praefigi debuit.

codicem descripsit B. Gsell in Xeniis Benardinis II (*die Handschriften-Verzeichnisse der Cistercienser Stifte* I) p. 173, quam descriptionem cum Augustus Wilmanns mecum communicavisset, codex ut mihi mitteretur a patribus ordinis haud frustra petivi, missique tres fere libellos Gryphiae contuli. C a Gsellio saec. XII/XIII adscriptum nobis uno paene saeculo vetustiorem visum esse statim dixi.

nunc artissime eum codicibus B Prag. cognatum esse probabo:

III 18 post IV 13, 11 collocant B C Prag.

I 16, 4 *ille* — 16, 9 *fuit* om. B C Prag.

17, 2 *in nulla* — 17, 10 *factum est* om. B C Prag.

II 21, 3 sq. *et rursus* — *fulmen* om. B C (Prag.?)

58, 2 *incipit* — *deprimitur* om. B C (Prag.?)

VII 31, 2 *leuitate* — *matronis* om. B C (Prag.?).

his quidem locis A integer est. ne Itali quidem codices, etsi recentiores vilioresque alibi, I 16 sq. lacunas exhibent neque III 18 loco moverunt; libros II et VII non examinavi. gemellos igitur esse B C meo iure concludo, neque enim alter ab altero pendet. nam B integrior est IV 3, 6, ubi *nec non inter glaciem* (*niuem et glatiem* A) *interesse* AB praebent, C *inter niuem et glaciem* omisit. cui loco adde

IV 4, 1 *ninguat* AB *ningat et* C

infracto AB *confracto* C

2 *c(o)epit* AB *cęperit* C

maiora fiunt AB *fiunt maiora* C

magis AB om. C.

contra codice C deterior est B hisce locis:

IV 4, 2 *soluentis* AC *soluentes* B

3 *admixtam* AC *admixta* B

13, 6 *copia* AC *copias* B

9 *custodiunt* AC *custodiuntur* B.

atque multa codicis B^1 menda, cum postea correcta sint, nihil valere iam apparet, veluti

IV 3, 3 *alicubi colligunt* AB^2C *colligunt alicubi* B^1

6 *anaxagoras* AB^2C *anaxagorias* B^1

4, 1 *cepi tibi* AC *cepi⸗t* B (num *cepibit* B^1?).

nimirum ad haec vitia ex apparatu critico tollenda toto codice C conferendo non opus erat. neque Pragensi opus est, quamquam huius origo difficile dispicitur. artissime enim eum cum B vel potius B^2 cohaerere constat; num vero e B^2 descriptus sit, fortasse in dubio relinquendum est, etiamsi multa huic Holzingeri opinioni favere haud ignoro, veluti

I 3, 7 *uero* AC *ergo* B Prag.

deficit A *defecit* (?) B^1 *desiuit* B^2 *desinit* Prag. *defluit* C

8 *sed* AB^1C om. B^2Prag.

ib. *cum* Aε *t>m* B *tamen* Prag. om. C

9 *et* Aε *etiam* B^2CPrag. om. B^1

12 *nube illa* Φ] *nube nulla* ACε *nube ulla* (vel *nulla*) B^1 *nube uda* B^2Prag.

14 *ita ut sol lateat* Φ] *sol ita latet* A *ita sol latet* (B^1?) Cε(Δ) *ita si sol latet* B^2Prag.

tamen sunt, quae Georgii Müller rationem commendent, qua explicata eiusdem stirpis B et Pragensem esse contendit. pauca sane ille exempla nec satis gravia attulit, quibus B aliquotiens deteriorem esse probaret. neque mihi praesto sunt, quibus quaestio prorsus solvatur. illa enim quae adolescens nescio quis ab Holzingero iussus contulit, vix sufficiunt. exempli causa hoc affero:

I praef. 15 *sumus* A s. l. Prag.^{2} ε Φ] *scimus* B C Prag.^{1} om. A^1. sed quia nihil invenio de Pragensi relatum nisi hoc '*scimus* (corr.: *sumus*)', nescio, num illud *sumus* in Prag. correctum sit. multis igitur notis fidem habere non audeo, quibus Pragensem cum A meliorisque familiae codicibus stare ex silentio concluditur. quae

cum ita sint, origo Pragensis adhuc latet: potuit enim hic e B^2 describi, potuit B e Pragensi similive codice corrigi. neque vero ab hac quaestione illa pendet, qua soluta Senecae verba restituere conamur. quaenam enim in Δ fuerint, ex ABC(ε) satis eruitur, atque omnes hos codices adeo interpolatos esse, ut rarissime ad archetypum restituendum valeant, iam constat.

ceterum de singulis codicibus Italis nihil addo nisi subscriptionem codicis Chisiani prioris (E VIII 252) sic e Chatelainii coniectura legendam esse: *qui scripsit scribat, semper cum domino uiuat / hic liber est scriptus, qui scripsit sit benedictus.* vitia enim Vaticani 1769 a Rossbachio ad initium Quaestionum enotata (velut I 1,9 *et — existere* om.) enumerare me taedet. de universis illis sex (*Sen. Stud.* p. 11 sq.) hoc moneo: utrum artius cum libris ABC an cum stirpe ε cohaereant, non satis certum esse. eosdem enim libellos eundemque ordinem quos A (BC) exhibent Itali, interpolandi vero furore cum ε potius coniungi videntur; atque omnium quos novi codices pessimi sunt.

De stirpe ε.

Codices vulgares mixtique I—III 25,6 ex Δ sumpserunt (ε), ceteros libros ex Φ (ϑ1) addiderunt (ς). atque priorum libellorum undecim lacunas in δ simul et ε inveniri supra monui; quibus quinque accedunt in hac tantum stirpe omissa (I 13,2. II 18. 33. 35,2. 37,3, cf. *Sen. Stud.* p. 17). codices olim enumeravi undeviginti (*Sen. Stud.* nr. 10—23, 25—29); de vicesimo enim id est Bongarsiano cf. quae supra p. 32 disputavi. horum subscriptiones recentes sunt (cf. *Sen. Stud.* p. 31 sqq.).

his unum nunc addo Palatinum Vindobonensem 3134 [Univ. 862] chartaceum in foliis 448 saec. XV exaratum, quem ex indicibus librorum novi. cf. Tabulae codicum manu scriptorum . . . in bibliotheca Palatina Vindobonensi asservatorum, vol. II p. 211 sq. Vind.

1868, et Catalogus codicum philologorum . . . ab Endlichero ed. Vind. 1886 p. 99. liber continet 1) Sen. et Pauli ep. 2) Epit. 3) 22 l. epistularum ad Lucilium d. 4) de rem. fort. 5) de septem art. lib. 6) de q. virt. 7) Declamationum excerpta 8) Quaestionum naturalium libri VII f. 226^{v}—290^{v} 9) Aristot. eth. exc. 10) prov. 11) de paup. 12) de mor. 13) de clem. 14) de benef. 15) de provid. 16) de v. beata 17) de tranq. 18) de brev. v. 19) de ira 20) cons. ad Marciam 21) ad Helviam.

eadem excerpta Aristotelica in codice g exstare videntur, atque ordo scriptorum cum hoc aliisque eiusdem stirpis aliquo modo congruit. titulus Quaestionum hic legitur: *Incipit liber primus ad Lucilium lucili Annei Senece de questionibus naturalibus, de ignibus celestibus et hiis que fiunt circa stellas,* et subscriptio ad calcem additur *explicit liber Senece sextus de questionibus naturalibus.* utraque igitur nota simillima est illis in g et Vatic. lat. 2215 subscriptis (cf. *Sen. Stud.* p. 31 sq.). Vindobonensis num Gruteri fuerit ille Palatinus quartus (p) vel tertius, equidem nescio, quoniam codices non vidi, Vindobonensis ne lectiones quidem cognovi.

huic alios quosdam codices adnectere liceat, quorum nihil nisi numeros novi: Vaticanos dico, qui olim Alexandri Petavii fuerunt, 905 et 1138, nec non Controversias simul cum Nat. Quaest. complectentes 58, 1142, 1338. atque multos praeter hos in bibliotheca Vaticana latere mihi persuasum est. denique Parisinum 17842 Bibliothecae Nationalis saec. XV, quem et imaginem Alphonsi Aragonensis et Senecae Nat. Quaestiones continere sed nullius pretii esse Lejay p. 196 nos edocuit. at quos libellos quo ordine cum hic tum Petaviani exhibeant, adhuc ignoro.

sed redeamus ad stirpis ε codices. in Parisino enim 8717 Thuaneo (cf. *Sen. Stud.* p. 20) ante tabulam sententiarum Senecae ab Juncta confectam haec fere legi Lejay p. 196,2 adnotavit: *Reverendo uiro, fratri Angelo de Castello, lectori* (*) *ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini, frater Juncta de sancto Jermano, eiusdem professionis, sincere caritatis affectum* (?). *Inter tormenta simul atque dispendia positus . . .; occurrit illico mox medicus et magister Seneca . . . Quapropter . . . iam me persensi senechistam. Et ne tanta dulcedo a corde recederet, proposui suis libris moralibus inuentarium seu tabulam iungere,*

ut ipsorum sincere sentencie facilius ualeant repiriri . . . . Libros de officiis . . . perfectos . . . nonnisi semel inueni, et hoc Bononie, quibus in hac tabula usus fui . . . deinde ad prima epistularum verba *intentio* singularum et siglum *G. d(e) C(a)* adscribitur. adde, quod post illam tabulam Albertini Musati argumenta in tragoedias Senecae scripta leguntur, de quibus cf. Cloetta *Beiträge zur Litteraturgeschichte des Mittelalters und der Renaissance, Halle 1892*, II 15. de ceteris codicibus nihil habeo quod addam.

plus viginti igitur eiusdem notae supersunt libri, qui quibusnam cognationis vinculis inter se coniungantur, accuratius neque quaesivi neque quaeram. genuinum enim Senecam in iis non exstare, immo utramque partem (ε, ϛ) foede interpolatam esse et olim (cf. *Sen. Stud.* pp. 23—29, 75—78) et supra, cum de interpolatore χ disputarem, probavi. esse enim, ubi prior pars (ε) e 9-1 vel χ correcta legatur, observavi itemque esse, ubi altera pars (ϛ) e δ correcturas acceperit. atque harum unum adferam exemplum:

VII 32, 3 *ne cuius pantomimi nomen intercidat*] sic Φ (EO), nisi quod *panthomimi* praebent HJL *panthomim* M¹P *panthomini* M² *pantominii* T et *non(en)* K. sed *cuiuslibet* δϛ (ABC cgmp Pal. 3 Ald.) porroque *pantomimi* A (g²?) *pantominii* B *pantomimium* g¹ *in patria* Pal. 3 *patrimonii* (sic) C *patrimonii* cmp Ald.

itaque hoc quidem loco codices vulgares e C similive codice correctos videmus. neque tamen inde sequitur, ut tota haec capita originem e C sumpsisse ponamus. velim enim variam lectionem ad VII 31,3 notatam inspicias:

co(m)miniscimur] *comminiscimus* P¹ *communiscimur* M¹ *commiscimur* O
que] *quid* M²
uirilitati] *uiriditati* P *humilitati* E
fiat ABCϛEK¹M] *fuit* HJ¹K²LOP *fit* J²T
ut] *aut* cgmp Ald.
non] om. H¹ *potest*] om. E¹
exui] *eui* P *erui* ABC
excidit] *excedit* O *abscidit* ABC

ludi] ante *partem* BCHλ (*loci* K *mudi* J^1) ρ post *partem* Aς (g m Ald.) E om. L^1

fugit] *fugerit* ς (g m Ald.)

infame δϑλρ] *infamie* c g m p Ald. M^2

egenus Φ *egenus etiam* ςET *et genus etiam* δ(ABC)

legit δϑρ] *etiam legit* λ.

videsne in hac paragrapho cum δ non ς sed ϑ1 conspirare? stat igitur opinio, qua concordantiam interpolatori illi χ deberi conieci. neque desunt, ubi vulgares codices plura menda traxerint; desunt lectiones utiles et auxilium nobis praebentes.

neque igitur in talibus vitiosis vilibusque finem faciam sed emendationes ab optimis codicibus pendere et observationibus sana mente factis probaturus in eandem paragraphum VII 31,3 accuratius inquiram. hanc enim Haase sic edidit: *cotidie conminiscimur, per quae virilitati fiat iniuria, ut traducatur, quia non potest exui: alius genitalia excidit, alius in obscoenam partem ludi fugit et locatus ad mortem infamem armatur. egenus etiam in quo morbum suum exerceat, legit.* atque Madwig *locatos ad mortem infamem rimatur* coniecit. ceteri interpretes verbis traditis contenti erant.

nimirum *in obscenam ludi partem* et *infame armatur, egenus in quo* tradi supra commemoravi; contra *etiam* ante *legit* utrum in Φ fuerit an defuerit, dubium est. ceterum *fiat* ex *fiut* optime emendavit χ, nisi forte in Δ antiquitus exstabat. restant vero graviora. quid enim egenus ille sibi vult et quidnam legit? neque locatos Madvigii intellego neque quemquam locari ad infamem mortem Senecae videri, ne gladiatores quidem, puto. an reprehendendi erant, si qui cum infamia mori cogebantur aut divitiis egebant? at ne longus sim, illum Seneca respicit gladiatorem, cuius historiolam fusius in epistula 70,20 sq. narrat: *nuper in ludo bestiariorum unus e Germanis, cum ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum corpus: nullum aliud illi dabatur sine custode secretum; ibi lignum id, quod ad emundanda obscena adhaerente spongia positum est, totum in gulam farsit et interclusis faucibus spiritum elisit . . . undique destitutus in-*

uenit, quemadmodum et mortem sibi deberet,[1]) *et telum, ut scias ad moriendum nihil aliud in mora esse quam velle . . . dum hoc constet, praeferendam esse spurcissimam mortem seruituti mundissimae.*

de eodem sine dubio bestiario foede mortuo in Nat. Quaest. agitur; pluries enim cum his epistulas Senecae congruere olim monui (*Sen. Stud.* p. 324 sqq.). erat iste ad mortem honestam locatus sed infame quoddam et inauditum moriendi genus praeoptabat. fugit in obscenam ludi partem, i. e. foricam, ibique armatura sua egens lignum spurcissimum pro armis elegit eoque telo usus libertatem sibi vindicavit, virilitatem traduxit. quibus rebus consideratis *locatus ad mortem infame<m> armatur* sive *rimatur* vix recte editur: immo *infame genus* rimatur vel eligit sive moriendi sive armorum ad necem aptorum. atque potuit iste *armaturae* gladiatorum *egenus* dici, non debuit. neque vero Senecam *infame armaturae egenus genus* dixisse puto, sed nulla fere littera mutata emendaverim: *locatus ad mortem infame armaturae genus, in quo morbum suum exerceat, legit.* fati enim electio illi negabatur, arma vel undique destitutus eligere potuit.

sed iam subsistamus. neque enim Senecae verba ut emendarem sed ut recensendis fundamentum pararem, nunc mihi proposui.

---

1) Viri docti *praeberet* aut *daret* aut *deferret* (sc. et mortem et telum) coniecerunt. equidem nihil mutandum sed distinguendum esse puto: ille enim telum invenit, ubi mortem sibi debitam vita solvendam esse sensit; nam qui mori vult, eum via moriendi diu latere nequit.

Corrige p. 14 l. 12 Annaeanorum *pro* Annaeorum.

Conspectus Capitum.

De archetypo et ordine librorum . . . . . p. 5
De classis Φ stirpibus 7
De stirpe ϑ 8
De λ stirpe 13
De ρ stirpe 20
De quodam interpolatore (χ) 27
De classe Δ 35
De stirpe δ 38
De stirpe ε 41

LL
S4753
.YgeS

Seneca, Lucius Annaeus, the younger
Gercke, Alfred
Studia Annaeana.

594247

DATE | NAME OF BORROWER

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET